

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 46. (*Neovidensis* 1805. Nro 42.)

---

Ex Campis Elysiis

Sermo Politicus.

*De bello, vel pace in Continente.*

---

Elysiu -Meum. -- Die Veneris 7. Junii 1805. (Neov. 24 Maji.)

---

#### Fama:

*Londino* 11 Maji: Nostri rerum novarum Commentarii continent relationem, Die 9 hujus accepisse tandem Status Secretarium diu jam expectatum Offensivum, & Defensivum foedus Russiam inter, & Angliam.

Ex Ephemeridibus Hollandicis.

**N**olumus in considerationem sumere sequelas, quas hæc narratio, si vera foret, in Continentem haberet; possumus tamen observationes, quas quidam Germanicus rerum novarum scriptor facit, benevole excipere suspendendo nostrum judicium ad ulteriora tempora. Quid autem scribit hac de materia? Audite, & pensate.

Erat in rerum natura fundatum, ut Anglia inde a tempore, quo tractatum pacis Ambianensis violavit, omnes artes, & technas exereret ad flectendas in sua privata vota Continentis Gentes; Quantum enim vires Gallicæ Reipublicæ conglobavit in Continente, tanto minus metuendum habebat ab impetu, quem nationale Gallorum odium, si cum uno tantum hoste fuisset conflictandum, produxisset. Ut paucis multa complectar: Bellum in Continente ortum fuisset exoptatissima occupatio, quam Anglia fecisset Gallico Imperio, ex qua, quemcunque demum nacta fuisset exitum, etiamsi pessimum, plus sperandum erat pro politica Angliæ existentia, quam timendum: nam quo magis Gallia protulerit Imperii fines in Europa, eo minus periculosa fit illa Angliæ.

Ex omnibus regnis Europæis erat Russia, quæ maxime inclinabat transire ad partes Angiorum, partim ob communem conatum omnium Septemtrionalium populorum appropinquandi ad meridiem, partim & quidem præcipue, quod Russia non possit aliter fieri particeps commercii universalis, quam si polita fuerit talibus portibus, qui præ septemtrionalibus faveant negotiationi. Hæc bene sciens Anglia, convertit se primum ad Russiam, nihil dubitans, si Alexandrum I, ad bellum contra Gallos gerendum animaverit, illud in Continente sua sponte oriturum. Quo-

modocunque hæc negotia inter utramque gentem gesta sint, certum est Russiam se promptam exhibuisse Anglicis desideriis, neque in ejus propensionibus, sed alienis viribus stetit, quod bellum in Continente, cui Russia initium dare debuisset, evanuerit.

Svecia, etiam Septentrionalis potentia, accedens ad Russici Imperii desideria, non poterat esse aliena a bello in Continente promovendo, qua de causa strenue adjuvit intentiones Angliæ. Verum a nutu Russiæ dependens libere agere nil valebat; Et quamvis intrepidus Regis animus omnes politicas machinationes superarit, tractando de subsidiis cum Anglia, omnia tamen veterem retinere formam, non alia de causa, quam quod Europa in sua constitutione inde ab initio prioris Sæculi multum sit immutata, solitaria autem Sveciæ opera in rem portentosam degenerasset.

Austria quidem longe alios fines intendebat, atque Russia, & Svecia; cum illi tamen bello in Continente gerendo minime adversarentur, facili negotio potuisset nova coalitio exurgere adversus Galliam. Exhaustum Ærarium fuit, quod hæc potentiam in suo retinuit æquilibrio; Interim Gubernium Anglicum promisit se huic defectui pecuniis subsidiariis liberaliter subventurum. Itaque cum hac ratione Austria in spem fuerit erecta, amissam in ultimo revolutionis bello auctori-

tatem recuperandi, non poterat non optare, ut in continente ad arma conelametur.

Ita erant comparatæ res inde a primis hostilitatibus Angliam inter, & Galliam enatis,

Gallia debebat aversari bellum in Continente, non quidem ex metu, ne forte jaſturam patiatur Provinciarum in ultimo bello acquisitarum, & pace Lunævillensi confirmatarum, attamen ex ſollicitudine, ne occasione ejus imperium maris in potestatem veniat Anglorum, neve se ipsam in præſens conjiciat periculum. Quamvis vero ardentissime cupiverit conservare pacem in continente, hujus tamen desiderii compos fieri non potuit, nisi inter Regna Europæa minimum unum inventum fuisset, quod ad eam retinendam vires suas cum Gallia conjungeret.

Atque hoc Regnum, est Regnum Borussiae.

Non quærit illud secundum suum geographicum situm partem habere in altercationibus mundi, sed potius in eo enitur, ut Republicæ vires ex agricultura, & inde promanante industria capiant incrementum; Satis potens est, ut se ipsam cum successu tueatur, neque ullum sentit incommodum ex ære alieno publico; In administratione negotiorum politicorum non tantum prospicit præ-

sentia, sed etiam futura. Naturam presentis belli penitus expendit, quam ceteræ Europæ Gentes, & ideo minime propendet ad sequendas animi affectiones; Sua interna, & externa commoda magis metitur ex tempore, quam incerto armorum eventu, & hæc est ratio, cur recuset accedere ad societatem bellicam, quæ eo magis adhuc auget potentiam Anglorum. Hinc factum est, ut licet non esset fœderatum Galliæ, ejus tamen partibus adhæserit. Unde hætenus non est in continente ad arma descensum, & sine dubio nec imposterum descendetur.

Nimirum in bello Galliam inter, & Russiam gerendo Borussia est pro parte Galliæ firmissimum præsidium defensivum, pro parte Russiæ autem insuperabile offensivum. Quæ harum duarum gentium eam sibi conciliaverit, illa tempore belli plurimum valebit. Si Prussia partibus Russiæ, & Sveciæ accessisset, Continens jam bello arderet. Cum vero neutrius vota probaverit, non poterat oriri. Hoc stricte loquendo non erat vera neutralitas, nam in tali statu Russia, quod quærebat, invenisset fulcrum. Sed nec intendebat Prussia perfectam observare neutralitatem, quod ex manifestata ejus declaratione, se nullum velle in continente bellum, patet. Hac enim sententia pronuntiata adjunxit se Galliæ, quæ Borussicæ constantiæ confisa palam edixit, nullum futurum per continentem bellum.

Quam magna sint de tota Europa in hoc genere merita Borussiae, vix potest dici. Hoc tamen absque omni exaggeratione licet affirmare, eam esse in universa Europa vigentis culturae propugnatricem. Si etenim tantum obiter examinemus proportionem inter numeratam pecuniam, & necessitates exercituum, facileprehendemus, a foederatis Gentibus non posse aliter in continente bellum geri, quam pecuniis Anglicis, quas cum ipsa Anglia tantas procurare nequeat, quantae requiruntur ad alendas foederatorum copias, prono fluit alveo, quomodo ex dissoluta disciplina, quae semper defectum pecuniae consequitur, nascitura tandem sit eversio omnium societatum civilium in Europa, & Gallia, invita licet, universalem Monarchiam obtentura. Hoc ingens infortunium avertit haecenus Borussia a nostris cervicibus, & haud dubie imposterum quoque avertet. Non est tamen credibile, ut hoc exitium Borussiae meritum, quod sibi hac via comparavit, aliquando pro dignitate agnoscat.

Ex hoc singulari Borussiae in praesentibus rerum adjunctis agendi modo integrum est quaequam ejus facta explicare, quae singillatim assumpta, omnino obscura sunt. Illuc pertinet, Anglicum Ministrum Rumbold, qui ante aliquot menses ad mandatum Gallici regiminis in quodam praedio pone Hambur-

gum interceptus erat, opera Regis Borussiae illico pristinae libertati fuisse restitutum. Eo refertur porro, Berolinum esse centrum omnium politicarum negotiationum, dum enim Gallia omnem movet lapidem, ut Borussia habeat suum defensionis munimentum, Gentes septentrionales viribus omnibus contendunt eam perducere ad bellum contra Gallos suscipiendum. Ad eam denique classem spectat submissio Ordinis honorariae legionis ad Aulam Borussicam. Quae de re cum in publico falsi circumferantur rumores, profecto non potest silentio praeteriri.

Ordo honorariae legionis secundum ipsius Imperatoris Gallorum declarationem re-integrat quidem Institutum honorariae legionis, attamen eum etiam habet finem, ut testetur aestimationem, qua Gallia fertur erga alios Ordines in Europa usitatos. Quapropter ordo iste non denotat membra honorariae legionis, si ab illis personis deferatur, quae non sunt Gallici cives; sed est signum politicae amicitiae. Omnino ordo hic provenit ab Honoraria legione, si a Gallis gestetur, neque potest aliter considerari, quam symbolum Honorariae legionis. Cum tamen generatim nullam involvat obligationem, possunt eo uti omnes personae, quibus eum contulerit Imperator Gallorum, sicut quocumque alio ordine; hoc est, quin propterea officio suo,

& muneri gesto desint. Quod hætenus de magno, & parvo ordine garriebatur, alienum est a veritate, nam magnus Ordo per se subsistit, neque potest cum minore, etiamsi existeret, commutari sine amissione prærogativæ. His rite perpensis in nihilum recidunt omnes speculationes, quæ allato magno Ordine Honorariæ legionis Berolinum proçusæ sunt de interno Borussiæ, & Galliæ statu.

---

*Publicatio.*

Quod opus elapso anno Nro. 26 harum Ephemeridum sub titulo: *Stimulus Compunctio- nis, & Selloquia*, annunciavi, illud auctum eximiis cogitationibus Christianis R. P. Bouhours e S. I. pro quolibet die mensis, in lucem publicam jam prodivit, impressum elegantibus typis, philyris 18 $\frac{1}{4}$ . Qui igitur BB. Fautores nostri pro opere hocce jam prænumerarunt, illud indicata nobis opportuna occasione quancumque accipere poterunt. Alii vero, qui occasionem prænumerandi pro eodem non habuerunt, persoluto 1 fl. illud a quovis Bibliopola, aut a nobis ipsis comparare poterunt.

Posonii 1 Junii 1805 G. A. Belnay.

---